





M  
1794  
4e

DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS  
DE  
**HAEMORRHOIDIBVS EARVMQVE  
CAVSIS ET CVRATIONE.**

QVAM  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
**GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAESIDE**

**CHRISTIANO FRIDERICO NVERNBERGERO**  
PHilos. ET MEDIC. DOCTORE ANATOM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORD. MVSEI ANATOM. ET NATVR. CVRIOSOR.  
INSPECT. ET SOC. OECONOM. LIPS. SODAL.

PRO GRADV DOCTORIS  
RITE OBTINENDO  
D. I. MENS. DECEMBER. A. R. S. CIOIDCCXCIV  
H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**FRIDERICVS AVGVSTVS ENGEL**  
GROSZ-TSCHIRNA-SILESIUS  
MEDICINAE CANDIDATVS.

---

VITEBERGAE  
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIS,



V I R I S  
EXPERIENTISSIMO EXCELLENTISSIMO  
AMPLISSIMO DOCTISSIMO  
**IOANNI HEDWIGIO**  
MEDICINAE DOCTORI ET BOTANICES PROFESSORI  
PVBL. EXTRAORD. IN UNIVERSITATE LITTERARIA  
LIPSIENSIS CELEBERRIMO

ET

PLVRIMVM REVERENDO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO

**IOANNI IACOBO  
SILBERMANN**

LIBERAL. ART. M. ET APVD OELSNITIENSES VARISC.  
DIACONO LONGE MERITISSMO

A V V N C V L O S V O  
IN AETERNVM VENERANDO

HOC SPECIMEN ACADEMICVM

PIA MENT E

D. D. D.

A V C T O R.

VIRIS

PLUTARCHEMUS EXCELSISSIMO

PLUTARCHEMUS DOCTISSIMO

JOANNI HERDAGIO

MEDICINE DOCTORI ET BOTANICIS TROCHIS

THEATRORUM IN ANTIQUARIATU ET LIBRARIA

LIBERISI C. BERLINO

PLUTARCHEMUS REVERENDO VULPESISSIMO

DOCTISSIMO

JOANNI IACOBO

SIBERIANA

PLUTARCHEMUS TROCHIS

PLUTARCHEMUS TROCHIS

YAVINCANO SAO

PLUTARCHEMUS TROCHIS

HOC SIBERIANA AGAMONIA

PLUTARCHEMUS TROCHIS

PLUTARCHEMUS TROCHIS

PLUTARCHEMUS TROCHIS



§. I.

*Instituti ratio.*

Cum de elaborando Specimine quodam academico cogitabam, in eligendo themate non diu haesitau, sed statim famosus ille morbus, qui ab effusione sanguinis, e sic dictis vasis haemorrhoidalibus oritur, in mentem mihi venit. Et ab hoc proposito eo minus recedendum esse putaui, quo magis huius morbi indoles, cum eius incommoda non solum ego ipse perferre cogar, verum etiam in aliis, hoc morbo correptis disquirendi, iam aliquoties nactus fuerim occasionem, mihi non est incognita. Extant quidem multa de hoc morbo medicorum celeberrimorum, veterum pariter ac recentiorum, scripta, lectu dignissima, et non parum utilitatis praebentia: attamen ut et ego, quamuis iunior medicus, quid de morbo



isto sentiam, in hoc libello exponere possem, haud superuacaneum esse ratus sum. Nec quemquam medicorum spero fore, qui neget forsitan, talen morbum, qualis hic est, qui tam multa et grauia parit mala, utique dignum esse repetitis aliorum meditationibus ac perscrutationibus. Quidni enim morbus, qui fortasse potissimum cibis, nimis artificiose paratis et compositis, spretis contra atque neglectis aliis simplicioribus, maioribus nostris adeo gratis, magisque salubribus; aut condimentis, sanguinem exaequantibus, ab exteris regioaibus allatis, a climate aequae ac habitu corporis nostri longe diuersis, et sanitati nostrae vix ac ne vix quidem conuenientibus, sed potius eidem infestis; peque minus varijs potuum generibus, eorumque nimis largo usui, sanguinis motum iusto celeriorem efficientibus, veramque eius excandescientiam, producentibus et promouentibus, originem debet; quidni, inquam, talis morbus mereatur, qui medicorum ingenia diligenter exerceat, et ad ulteriorem eius inuestigationem eosdem stimulet? Namque sic facta meliori eius cognitione efficietur, vt non solum iamiam in corpore praesens morbus rite tractari, verum etiam, vt ab iis, in quibus ille tantum metuendus est, ex voto auerti queat. Quanquam autem is ego non sum, qui huic labori apte satis perficiundo se parem esse sentiat, atque vel ipsas hasce pagellas hanc omnem materiem exhaustire posse, credat: tamen in huius ipsius morbi, eiusque causarum et curationis descriptione vires meas exercere, atque scribendi periculum fa-

cere

cere volui, quo vel ipse experirer, quid valeant humeri, quid ferre recusent, vel praeceptoribus atque patronis, de me optimo meritis, studiorum, huicdum tractatorum, factorumque qualiumcunque in arte salutari progressuum, modestas rationes redderem.

§. II.

*Vnde morbi nomen descendat?*

Vocem haemorrhoidum, graecae originis esse, et ab αἱμα sanguis, et ἡγεμονίᾳ fluo, prouenire, quilibet statim perspicere potest. Ceterum vero hic morbus suum debet nomen sic dictis vasis haemorrhoidalibus, e quibus, si sunt haemorrhoides, ut aiunt, fluidae, sanguis profluit, plus minus rubicundus, atque sincerus. Cur vero haec vasa olim ab Anatomicis haemorrhoidalia sint dicta, cum in omnibus vasis sanguis fluat, nulla patet ratio. Lingua vernacula hunc statum morbosum Rückader appellant; et quoniam fuerunt medici, qui tale profluum sanguinis pro necessario, imo salutari habarent, quos inter celeberrimus quondam STAHLIVS, eiusque asseciae potissimum referendi sunt, qui fluxum hunc non solum esse fouendum, et promouendum, verum etiam arte producendum iudicarunt, factum est, ut inde ipse hic morbus germanicum nomen guldene Ader acceperit, quo tamen nomine neutiquam dignari potest, quia semper pro statu praeternaturali reputandus est, et cum mulierum catameniis prorsus

non

non comparari potest, utpote cuius fluxus longe alia ratio est, cum necessario adesse debeat, contra vero hic, de quo nobis sermo est morbus, magis auertendus, quam prolixiendus sit. In ore etiam quorundam medicorum idem beneficium naturae audit, sed neque hoc nomen ipsum mereri, potius dignum esse reputandum, qui contrario nomine insigniatur, et maleficium naturae dici queat, ex infra dicendis patebit. Cur vero hic fluxus plurimorum molestiarum plenus, neque etiam saepius periculi expers, solummodo a vasis, e quibus sanguis effluit, nomen accepit, cum tamen haec vasa non sola sint accusanda, sed et multa alia huic morbo animi praebant, difficile est indicatu, quandoquidem, prout catameniorum fluxus, tanquam ab hoc diuersus, vereque periodicus forte & longe alia condizione appellari potuisset. Sic ille mulierum fluxus non a vasis, e quibus effluit sanguis, neque a loco, unde promanat, nomen deponit, alias enim fluxus uterinus, vel vaginalis appellaretur.

§. III.

*Vasa sanguifera huc pertinentia anatomice et physiologice descripta.*

Diu multumque disputatum fuit inter medicos, quaenam vas in hoc morbo peccent, et utrum arteriae, an venae sedem eius constituant; alii enim has, alii illas, accusarunt, quidam

non

ab

ab utroque genere vasorum eundem deriuari posse, statuunt.  
 Secundum veteres hic fluxus tantum e venis prouenit, idemque autumant, per eum humorem melancholicum excerni.  
 Ipsa vero sanguinis, ex ipsis vasis profluentis, qualitas clare ostendit, non semper esse venosum, sed subinde quoque arteriosum.  
*Ill. b. TRILLERVS<sup>a</sup>) de haemorrhoidibus haec habet; Sunt, qui ultima cum antiquitate, venas principium ac fontem purpurei huius fluminis habendas esse, hucdum, saepe iracundius contendantur, qui arteriis hanc prerogatiuam, hoc meritum vindicandum, etiam a multo iam tempore constituantur; sunt denique, qui pacis amantiores, ad vasa generatim haemorrhoidalia, quidquid huius aut officii est, aut beneficii deserri malint.* *b. LANGGVTHIVS<sup>b</sup>) alio scripto hanc venarum prouinciam esse negans, alio arterias sedis internas pro fonte haemorrhoidum assumit.*<sup>c)</sup> *Rectum intestinum quibusdam obnoxium esse vitiis, quae ab haemorrhoidalibus venis manant,* *10. BAPT. BVRSERIVS de Kanifeld<sup>d</sup>) contendit.* Sic permultos adhuc allegare possem medicos, qui modo unam, modo alteram defenderunt opinionem, si angusti fines, quibus circumscriptae sunt hae pagellae, id permitterent. Quantum vero ad me, ut, quid censem, in-

genue

*a)* Vid. Ej. Diss. de haemorrh. fluxu nunc salutari, nunc noxio. Vitteb. 1768.

*b)* Vid. Ej. Diss. de vena fonte haemorrh. non satis limpido. Vitteb. 1768.

*c)* Vid. Ej. Diss. de Arteria fonte haemorrhoidum limpidiissimo. ib. 1773.

*d)* Vid. Ej. Inflit. med. pract. Vol. IV. Cap. IX. §. 114.



genue fatetur, non possum non iis assentiri, qui venas haemorrhoidales fluxus fontem assumunt, ita, ut tam venas haemorrhoidales internas seu superiores, quam externas seu inferiores accusandas esse putem. Qualitas nempe sanguinis in hoc morbo effluentis eos, qui ab hac sententia recedunt, forte eo deduxit, ut sanguinem istum pro sanguine arterioso haberent. At enim vero, cum haemorrhoidales venae internae in ramum mesentericum inserantur, et deinde in venam portae, (quae potissimum vera huius mali porta, siue fons, dici ineretur) externae autem venae sanguis in ramum hypogastricum venae cavae fluat, internae autem et externae, quibus interdum quoque mediae se adiungunt, variis anastomosibus inter se coeant, hinc etiam omnes venae portae, ventrales dictae, cum hepatica, quae, ut satis est cognitum, vero arteriae officio fungitur, dum simul sanguinem arteriosum, ex arteriae hepaticae ramis suscepit, qui non omnis in hepatis nutritionem impendi potest, inuicem communicent, facilis negotio fieri etiam potest, ut sanguis, qui ex his vasibus haemorrhoidalibus profluit, qualitatem arterioso sanguini similem assumere queat. Praeterea etiam simul ad venas gastricas, pyloricas, et duodenales, quae ad venam portae descendunt, nec non ad vasa brevia, quae ad ramum splenicum abeunt, prout ad omnem horum vasorum confluxum respiciendum erit. Non solum autem ob hanc variam coitionem et communicationem vasorum magis e venis profundi hunc sanguinem, quam ex arteriis prouenire, statuen-  
dum

dum est, verum etiam hoc maxime probabile videtur ideo,  
 quia hae venae, prout etiam aliae, adeo robustis non praeditae  
 sunt tunicis, quales arteriae habent. Sicuti enim propterea  
 minus fortiter resistunt, ita in illis facilius, quam in his, siue  
 emphraxis, siue anastomosis, siue diapedesis, siue diabrosis,  
 contingere potest. Accedit et hoc, quod nec venae portae,  
 nec venae haemorrhoidales sint valvulis instructae, ut reliquae  
 in corpore praesentes venae, paucissimis exceptis, quibus re-  
 gressus sanguinis, et expeditior eius in hisce canaliculis motus mul-  
 tum promouetur; ideoque et hoc statui huic praeternaturali  
 fauere videtur. Quibus omnibus demum addere debemus, tu-  
 bercula quoque, quae haemorrhoidalia audiunt, in ano subin-  
 de conspicua, ad varices proxime accedere. Arterias haem-  
 orrhoidales quod attinet, illae quoque in internas nec non in  
 externas distribui solent, quarum illae arteriae mesaraicae infe-  
 rioris prouentus sunt, quae sic intestino recto prospicit, ex-  
 ternae vero una cum media hypogastricae ortum suum plerum-  
 que debent. Has arterias autem non accusandas esse in pro-  
 duendo hoc fluxu praeternaturali iam ex antea dictis patuit,  
 ytpote quae tanquam robustiores, nec adeo facile cedentes,  
 quam venae rarissime incommodis istis expositae sunt. Hinc  
 etiam in tuberculis illis, siue minoribus, siue maioribus, nul-  
 lus pulsus percipiendus est, prout ille in aneurysmatibus obser-  
 uatur. Neque arteriosa vasa, sanguinem, qui in haemorrhoi-  
 dibus profluit, fundere posse, exinde quoque probabile fit,

B 2

quod



quod tunc fere necesse esset, ut sanguis ille continuo, et sine  
ulla intermissione promanaret, quo longe maior toti corpori  
debilitas deberet induci, quam vulgo obseruatur, quandoqui-  
dem tanta iactura sanguinis, qualem ita necessario pateretur  
corpus, ab accessione vna ad alteram vix ac ne vix quidem re-  
stitui posset. Adde, quod his summis talis fluxus saepe etiam  
nimis esset impetuofus, nulloque pacto sistendus, et vel haem-  
orrhagiae adeo lethali ansam praebere posset. Constat enim,  
sanguinem a centro ad peripheriam, siue, quod idem est, a cor-  
de per arterias motum, longe citius propelli, quam eundem a  
peripheria ad centrum, hoc est, per venas ad cor redire.

#### § IV.

##### *Morbi ipsius descriptio et diuiso.*

Intelligo autem per haemorrhoides, morbum, a molimini-  
bus sanguinis circa venas haemorrhoidales productum, sub  
varia forma erumpentem, et plerumque periodice redeuntem,  
Cum vero non uno eodemque modo hic morbus se exaserat,  
hinc vario etiam modo diuidi soler. Diuiduntur nimirum  
haemorrhoides in apertas s. veras, fluentes, si vere effunditur  
sanguis, aut liquor aliis, et in coecas, s. clausas, si nil quic-  
quam eius effluit, sed intus accumulatum stagnat, cum molesto  
sensu, aut si tubercula tantummodo in venis illius regionis con-  
spiciuntur, quae modo cum dolore et inflammatione adsunt,  
modo sine vtroque. Est etiam, vbi aut verus sanguis purpu-  
reus

reus et rubicundus excernitur, aut tantum liquor albus et tenax: in priori casu, haemorrhoides cruentae, in altero pituitosae appellantur. Porro quaedam haemorrhoides internae sunt, aliae externae; illae saepius fluunt, hae rarius, sed creberrime tantum intumescunt. Neque minus aliae sponte profluant, et naturae beneficio, quae fere foeminarum catamenia aemulan-  
 tur, aliae minus sponte, sed e statu corporis morboſo excitantur. Dantur denique haemorrhoides, quae criticæ dicun-  
 tur, quae non tantum in solutionibus morborum cum febre  
 accidunt, sed etiam interdum in hoc illoue homine, sano qui-  
 dem viso, attamen plethorico corporis statu existente, cum le-  
 uamine fiunt, aliae symptomaticæ audiunt, non ab ipsa natu-  
 ra, sed a vi morbi ortae, ideoque aegrum sine leuamine excru-  
 ciant. Illae sine febre accedentes vel statae sunt, quae nimirum  
 certo tempore recurrent, id, quod tamen rarius fieri solet; vel  
 vagae, quae saepius quidem, sed incerto tempore reuertuntur.<sup>e)</sup>  
 Ac ne haemorrhoides, quatenus sensibus patent externis, atque  
 siue tactu, siue oculis explorari possunt, cum aliis affectionibus  
 morbosis confundas, ex mente BVRSERII<sup>f)</sup> hae fere notae  
 constituendæ sunt: Nimirum differunt a rhagadibus, fissuris  
 ano impressis; a thymis, qui magis tubercula carnosæ, colore  
 candida, vel rubentia, sed doloris expertia repræsentant; a  
 condylomatibus, quae verae pelliculae duræ sunt, siue rugae

B 3

ani

e) Vid. LUDWIGII inst. med. clin. Lips. 1769.

f) I. c. §. CXVII.



ani induratae, et oblongae, concolores, nec venas attingentes; a fisis, tanquam tuberculis, thymis maioribus, liuidis, dolentibus, quod vere carnosí sunt; a cristiis demum eo respectu, quod hae carunculas, cristaes galli gallinacei similes, reseruat.

Haemorrhoides, calculus, arthritici affectus affines sunt passiones, atque inter se alternantes. Cruentae nimiae, vel anomiae cum cephalaea, vel hemicrania plus saepe variant.<sup>g)</sup>

Caeterum laepissime hic morbus magis videtur haereditarius, quam acquisitus, cum a multis aegris, hoc morbo laborantibus audiamus, patres etiam, matresue olim ab hoc morbo funisse vexatos. Confirmat hoc TRILLERVS,<sup>h)</sup> scribens: *per haereditatem hic propagari effectus in sobolem non inepte creditur.* Attamen etiam nequit iri inficias, hunc subinde morbum acquisitum esse, in quem quis per varios et continuos diaetae errores, quorsum potissimum potuum abusus pariter, atque medicamentorum stimulantium, praesertim ex aloë paratorum, est referendus, incidere potest. Consentientem habeo b. LANGVTHIVM, ita hac de re differentem:<sup>i)</sup> *Ad oculos prorsus demonstrari potest, ab usu intempestivo, sive continuato potius abuso stimulantium, corpus etiam sanum non modo paulatim ad longos chronicosque morbos disponi, sed multo frequentius acutissimis, periculosis, suaque perniciete ac pernicie maxime metuendis portas aperiri.*

*Nullum*

g) Vid. KLEINII *Interpr. clinit.* p. 124.

h) Diff. cir. §. VII.

i) Vid. Ej. Diff. de stimulo naturae parcins addendo. Vitteb. 1776.

❧      ♚      ❧

Nullum fere huicmodi affectionis genus est, quod non saepius his causis natales suos debeat. Labenter praeterimus febrium variarum cohortes, spasmos, affectiones hypochondriacas, passiones hystericas, cephalgias, agrypnias, imo quoque molimina haemorrhoidalia etc. Nec silentio praeterire debemus, haemorrhoides quoque a coelo et climate quarundam regionum dependere, et sicuti in quibusdam locis frequentius occurunt, ita easdem interdum morbum endemicum constitutre certissime constat. Quam quidem endemicam haemorrhoidum labem maximam mereri medicorum attentionem, WETSCHIVS propterea sapienter monuit.

### §. V.

#### *Signa, causae et symptomata morbi.*

An detur huius morbi signum pathognomonicum? dubium est; nisi forte eo referre velis dolorem, et tensionem lumborum, cum aestu circa spinam dorsi, et pruritu in ano coniunctum. Sunt etiam, qui e singulari pulsus proprietate hunc praesentem non minus, quam imminentem posse, morbum cognosci putent, quem ideo pulsus haemorrhoidalem dicunt, quemque WETSCHIVS <sup>1)</sup> describit his verbis: *Pulsus haemorrhoidalis inaequalis est, sed inaequalitate singulari, pulsationes sunt inaequales inter se robore, ac adhuc magis interuersis; ubi vero ma-*

*gis*

<sup>1)</sup> Vid. Ej. *Medicina ex pulsu, sive systema doctrinae sphygmicae.* Vindoboni, 1770.



gis aequalis est, contra ac hepaticus, fere semper participare videtur de statu irritationis, cum singulari praeferim arteriae duritie: sunt tamen quandoque pulsationes magis dilatatae, in quibus contracatio minus notabilis est, et has subito sequuntur pulsationes, in quibus distinguitur reduplicatio. Ordo pulsationum vero hic est: tribus vel quatuor pulsationibus parum concentratis, vividis, vehementibus, fere aequalibus, succedunt binae vel tres pulsationes parum dilatatae, quasi rotundatae, et minus aequales; tres vel quatuor in sequentes sunt cum reduplicatione: haec autem omnes diversae pulsationes id commune habent, quod in iis deprehendatur species motus alicuius tremuli, utcunque constantis, itemque plus frequentiae, contractionis, et profunditatis, quam in pulsu vterino, et reliquis pulsibus inferioribus; irregularitas tamen non adeo conspicua est, ut in intestinali, siquidem saltus illi arteriae desunt. Hic character tumentibus quandoque mariscis evanescit, interdum vero evacuationem ipsam, et saepe quidem denunciat, quam diffinitorum longe formicatione, quam in coccis haemorrhoidibus distinguit Cel. ROUQUET. Hunc pulsus haemorrhoidalem simplicem iconem singulari, ad oculos demonstratum, videlicet in Ill. GRVNERI Semiotica Tab. II. Fig. 14. Ad signa diagnostica Cel. b. LVDWIGIVS resert, <sup>1)</sup> dolores circa os sacrum, cum singulari quodam pruriitu in ano, praeter quos saepius tenesimum aegros experiri dicit, etiam si faeces lubricae excernerentur. EVRSERIVS in notis characteristicis haec recensuit: <sup>2)</sup> Externae haemorrhoides oculis patent, internae speculo aui, aut digito inimisso deteguntur. Coe-

cae

1) loc. cit. 2) libr. cit.

cae in tumores paruos varicu*m* instar dilatantur, qui interdum castaneo, aut etiam ovi columbini magnitudinem referunt, alias tota ani peripheria tumens et inaequalis appetet; quandoque intestini recti extre-  
mum ita extrorsum inuertitur, ut simiae podicem aemuletur. Deinde  
verae haemorrhoides venarum capita repreſentant, plerumque nigri-  
cant, aut rubent intense, rotundae sunt, et venas occupant. In fluenti-  
bus sanguis excretus distinguitur a reliquis cruentis alii fluxibus,  
quod excrementorum attritu effunditur, plerumque excrements subſequi-  
tur, interdum ea quidem, sed paulo ante tantummodo præcit. De  
signis prognosticis idem BVRSE RIVS haec fere memoriae  
prodidit: \*) Coæcæ vel resoluuntur, vel indurantur, vel inflamma-  
tione adscita in abſcessum terminantur. Quando pus sanguineum ex  
iis prodit, facile, sed gradatim plerumque detumescunt, fine alia noxa.  
Si vero suppuratione grauiſ fuerit, saepe fistulam relinquunt; ſicuti etiam  
antiquæ, vel irritatae in ulcera aliaque saepe mala definunt. Deinde,  
ſi vasa ſediſ loco ſanguinis mucum, aut ſerum album, aut ichorofum  
fundant, laxitatem, obſtructionem glandularum, intestinalium angu-  
ſiam, ulcera, feirrhos, canctros, fistulasque adeſe declarant. Porro  
haemorrhoides fluentes, plethoram potiſſimum et cacochymiam tollunt.  
Quodſi vero meam nunc ſententiam interferere liceat, equi-  
dem existimo, haemorrhoides rite ac modice fluentes a mul-  
tis utique aliis morbis, qui ſanguinis morboſa quantitate, eius-  
demque ex inertia facta corruptione aliquantis per præſente,  
clam ſenſimque ſuccrefere ſolent, corpus ſatis tutum et  
omnino liberum praestare posſe. Sed age, præcipuarum  
morbi cauſarum enumerationem nunc quoque ſubiungamus.

C

Quan-

\*) I. c. vii. de illis &amp; ceteris morbis, quibus dicitur. A. T. I. 13. 10.



Quantum nimis ad eas attinet, quae morbum diu ante praecedendo, cum sensim praeparant, sane permagna earum est multitudo. Quicquid enim ita comparatum est, ut sanguinis copiam nimium quantum augere, crasis eius inspissare, motum eius impedire ac retardare, eodemque vase infarcire, ipsumque hunc immeabilem ac inertem cruentum magna vi, in vase sedis relaxata, et undeunque afflita congerere potest, id quoque ad morbum hunc remote producendum, suam confert symbolam. Hinc eo referas vitae genus lautissimum, in viatu ultra modum ac necessitatem nutritive, potibus largis spirituosis, vinosis, ac fermentatis, in somno nimio, motu contra pareissimo, et vita potissimum segni ac sedentaria, conspicuum; alii quoque segnitiem, inde contractam, diuque toleratam; animi pathemata ingrata, multumque deprimentia; aliae mentis operationes ac meditationes immodicae et profundae; nec non medicamentorum exsiccantium, stimulantium et catharticorum intempestiuac profusissima applicatio, in primis vero peruersus, fereque continuus salium purgantium, aloeticorum et rhabarbarinorum usus, et quae sunt alia huius generis. Quantopere etiam stimulorum quorundam naturae male factus neglectus, et suppressio noceat, atque vel ipsis his morbis procreandis faueat, iam saepius laudatus b.  
LANGGYTHIUS<sup>o</sup>) insimul his significavit verbis: *hinc enim, (nempe stimulis aliis exonerandi aut minigendi, a natura excitatis, omni data opera saepe multumque suppressis) primorum viarum debilitates proxime souentur augmenturque, humorē putrida aut faecu-*

<sup>o</sup>) Vid. Ei. Diff. *de stimulo naturae non obtundendo.* Vitteb. 1774.

facillenta indole inficiuntur, ipsae faeces nimium exsiccantur et indurantur, adeoque passionibus hypochondriacis, ac hystericis, nec non molinibus haemorrhoidalibus, ipsisque haemorrhoidibus coecis, foedis ulceribus, ac fistulis frequens occasio suppeditatur. Plures alios huc pertinentes causas attulit BVRSERIVS,<sup>1)</sup> qui et aliam causam proximam haemorrhoidibus coecis, aliam fluentibus assignauit; illam nimirum sanguinem in vasis sedis restituentem, et collectum, hanc vero eandem esse reputans, vnde reliquae sanguinis excretiones proueniant. Si vero, quod maxime probabile videtur, profitendum est, secundum meam quidem mentem irritatio, vnde cunque nata, optime pro causa haemorrhoidum proxima assumenda erit. Sicuti enim haec in fluentibus ipsam haemorrhagiam prouocare potest, ita in coecis dolorem, pressionem, pruritum, et reliqua efficere valebit. Quantum ad symptomata huius morbi, ea in variis subiectis varia esse solent. Frequentissima eorum sunt, quorum paulo ante, cum de signis exponeremus, mentio facta fuit. His ergo nunc omisssis, non possum tamen silentio praeterire tenebrum, qui tantum non semper aegrotos plus minusue vexat, etiam si faeces lubricae excernantur, quod notandum est ideo, ne forte, ipso haemorrhoidum fluxu eruento tunc praesente, a dysenteria sibi fraudem imponi patientur medentes. Alia symptomata, subinde quoque praefentia, ita comparata sunt, ut haemorrhoidibus aut tantum imminentibus, ac necdum earum fluxu facto, aut male suppressis, sanguis, in vasis venae portae stagnans atque infarctus, inde per errorem loci ad partes remotio-

C 2

p) l. c.



motiores cum impetu quodam compulsi, ibidemque accumulatus, ipsa procreare videatur. Hinc si tales congestiones versus pectus fiunt, haemoptysis, si versus caput, vertigines, caligines, cephalalgiae, hemicrania, insultus apoplectici oriuntur; vel, si idem ventriculum petit sanguis, vomitus cruentus, aut si organa vropoeitica, mihi cruentus producitur; aut eodem intestina, potissimum tenuia afficiente, misereque vellicante, colicam haemorrhoidalem profert. Haud ita raro etiam accedit, ut affectiones hypochondriacae, hystericae, et melancholicæ, itemque marisci et exania fese afficiant, et in haemorrhoidum potissimum coecarum ac tumentium consortium veniant. Fluxus denique nimius pariter, atque nullo pacto proritandus saepe cachexiam, oedemata pedum, hydropem, et hepticam comitem habet.

### §. VI.

#### *Curatio morbi.*

Progrederior nunc ad grauissimam libelli mei partem, scilicet ad ipsam, tali morbo, quallem, quoad signa, causas, et symptomata modo descripsi, congruam ac conuenientem medicationem. Antequam vero de ea exponam, quaedam mihi præmonenda sunt. Quemadmodum ipsa morbi facies, tam quoad causas, quam quoad alias conditiones aequa diuersas, admodum varia est, ita ne vniuersalis quidem curandi lex fanciri potest. Aliter versandum erit tunc, si haemorrhoides tantum forte imminent, atque easdem futuras esse, suspicari licet; aliter, si vere adfunt, atque modo rite et salutariter, modo immoderante,

te,

te, modo e loco minus congruo profluunt; aliter, si, licet fluxu  
earum absente, tamen symptomata summe urgent, et aegrotum  
vehementer exercent; aliter, si loco sanguinis alias liquor  
promanat. Quid rebus morbi ita constitutis a medico con-  
siderandum et procurandum sit, per singulas quidem partes de-  
finire studebo, curationes vero ipsas generatim tantum indi-  
cabo. Primum est, si haemorrhoides aliquando forsitan pro-  
uenturas esse, atque imminere medicus praeuidet. Hoc e cau-  
farum antea recensitarum praefentia, et repetita admissione, et  
e variis phaenomenis praeternaturalibus ante morbum in cor-  
pore iamdudum obuiis, cognoscitur. Si qui igitur laute vi-  
uunt, gulae nimium indulgent, vitam segnem degunt, et ha-  
bitu corporis iam satis vegeto ac toroso gaudent, hi, vt ab his  
vitiis sibi caueant, et in omnium rerum non naturalium  
usu iustam moderationem sibi commendatam habeant, mo-  
nendi sunt. Hoc ad eos in primis pertinet consilium, qui  
dispositionem haereditariam ipsis inesse sciunt. Atque si un-  
quam, tunc venaectiones prophylacticae, certis anni tem-  
poribus adhibendae, locum habent. Quo certius etiam est,  
abundantiae sanguinis imminuenda nihil magis sauere, quam  
secretiones et excretiones serosas, liberrime et expeditissime  
procedentes, hinc ad illas augendas et promouendas potibus  
diluentibus, aquosis, nullo modo calefacentibus, aut cereuisia  
secundaria tenui, largis haustibus porrigendis opus est. Cae-  
terum tunc, si haec obseruantur, nulla medicina, profecto opti-  
ma eit. Idem quoque valet de illis, quibus aetate iam satis  
proiectis, propter dispositionem naturalem et haereditariam

C 3

sponte,



sponte, perque ordinarias periodos, atque neque cum molestia,  
 neque enormiter taliſ ſanguis profluit, aut quibus haemorroi-  
 des in variis morbis chronicis aequē, atque acutis critice, cum  
 leuamine, et salutariter ſuperueniunt, his, inquam, omni me-  
 dicatione omissa, patienter fluxus ille preferendus eſt, atque  
 modo curandum, ne male ſupprimatur. Si porro ſanguis ni-  
 mium ac inmoderatus ſimul cum permagna virium iactura  
 profundatur, idem, quantum fieri poteſt, retinendus eſt, et ex-  
 haufiae vires restaurandae ſunt. Praefant ideo venaeſectio re-  
 nuforia, in brachio administranda, clyſmata, ex aceto aut aqua  
 frigida facta, cui pauxillum aluminis adiectum eſt, aut ex aliis  
 lenioribus lipticis parata, tales etiam ſomentationes, abdomi-  
 ni imponendae, neque minus, quae orgaſmum ſanguinis  
 temperant, nitroſa, acidula, adſtrigentia, et virium deperdi-  
 tarum cauſa nutrientia, roborantia, analeptica, interne propi-  
 nanda. Quodſi vero ſanguis per anum excernendus, aliena  
 loca petierit, et v. c. ad vesicam vrinariam transmigratus, loco  
 haemorrhoidum miſcum cruentum produxerit, idem inde auo-  
 candus eſt. Hoc effici poterit hirudinibus, ano applicatis,  
 vna cum cucurbitulis ſiccis, pone eum poſitis, deinde iniectioni-  
 bus, ex decocto herbarum parumper adſtrigentium, aut  
 ſcobe ligni querni confeccis, et in ciftidem vrinariam immiffis,  
 nec non clyſmatibus emollientibus adhibitis, itemque vaporib-  
 us tepidis diligenter admotis. Si ſanguinis profluuium per  
 vasa haamorrhoidalia nullum fit, iplis tamen plus minusue tu-  
 mentibus, atque modo per dolores varios, modo per anxi-  
 tates hypochondriacas et melancholicas, modo per alia sympto-  
 mata

mata aegrotos diuersimode vexantibus adhuc coecus esse mor-  
 bus reputatur, propterea que haemorrhois coeca nominandus.  
 Quemadmodum hic a sanguine spisso, tenaci, atrabilario, ac  
 immeabili, in vasa venae portae impacto, eorumque obstruc-  
 tiones et infarctus ita producente, exoritur: ita, ut huic rite  
 medela fiat, ad methodum diluentem ac resoluentem confu-  
 giendum erit, simul in auxilium vocatis illis, quae sanguinem  
 fortius ad annum propellunt, hirudinibus puta, cucurbitulis non  
 cruentis, pone eum positis, semicupiis, ac pediluuiis tepidis.  
 Medicamentis autem potenter resoluentibus, hoc ipso scopo  
 adhibendis, accenseri merentur extracta amara, in primis, quod e  
 radice Hellebori nigri paratur, porro Gummata, quae dicuntur  
 ferulacea, sapo Venetus, neque minus aut Calomel, aut Sulphur  
 antimonii auratum, Kermesue mineralis, et s. p. quandoquidem  
 haec rite inter se mixta, in formam Pillularum facile redigi  
 possunt. Hic propinandi modus, sicuti multis arridet, ita, ut  
 virtus medicamentorum augeatur, potus diluens, largissime  
 haustus, quoque addendus est. His tubercula illa varicosa, ani  
 ostium antea obsidentia, saepe dispelluntur feliciter. Quodsi  
 vero iisdem inflammatio accedat, ab initio quidem, an discuti  
 possint, tentandum est, remediis, quae hoc praestant, superda-  
 tis. Si tamen his nihil proficitur, eademque acute dolere, et  
 cum pulsatione pergunt, tunc audacter sectione aperienda sunt,  
 et materia purulenta, quam continent, euocanda est, ne acrior  
 facta, et ad vicinas partes forte clam proserpens, easdem ero-  
 dat, et in ylcus fistulosum, sanatu difficile, et saepe valde mole-  
 stum, degeneret. Qui denique infarctibus pituitosis laborant,

loco



loco sanguinis rubicundi liquorem viscidum, album, quo exprimere solent multo cum labore, variisque molestiis, ac symptomatis ingratis. Hi fere habent, quod in fontibus medicatis, sale amaro scatentibus, quales apud nos aquae Seydschüenses sunt, et in iusto usu clysterum visceralium, ad modum ~~KAEM~~  
~~FRII~~<sup>1)</sup> paratorium, auxilium et solamen quaerant.

1) Vid. E. J. liber celebratissimus *Ueber die Hypochondrie.*

### THESES.

**L**ac hominum, et reliquorum animalium non pro eductio chlesi e sanguine, sed pro vero et novo eius productio haberi potest.

**I**rritabilitas, sensu pathologico sumta, in fibra laxa pariter atque rigida locum habere potest.

**M**agna est inter morbos epidemicos et contagiosos differentia, utique tam a miasmate producitur.

**N**on omnium morborum causa in primis viis quaerenda est.

**P**lethora sanguineo purgantia drastica propinanda non sunt.

**I**n tussi conuulsua vapores per os deglutiti, et necessarii, et efficacissimi sunt.

**V**nguenta quadam specifica, quae a vulgo medicantium et ab agyrtis ad sanandas spinae dorsi distorsiones et gibbositates plerunque commendari solent, hoc efficere nequeunt.

**I**n primis grauiditalis mensibus vomitoria non satis tuto propinuantur.

vd18

ULB Halle  
001 558 609

3



TA-DOL



# Farbkarte #13

Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

IN AVGVRALIS

S EARVMQVE  
ATIONE.

ONSENSV

RVM ORDINIS

D E

NVERNBERGERO

ATOM. ET BOTAN. PROF.

NATVR. CVRIOSOR.

OM. LIPS. SODAL.

OCTORIS

ENDO

. R. S. CICDCCXCIV

DET

PONDENS

STVS ENGEL

-SILESIUS

NDIDATVS.

GAE

CHRISTIANI DÜRRIE

11

1794  
4e